INDEX LECTIONUM
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
JAGELLONICA
INDE
A DIE 1 OCTOBRIS ANNI MDCCCXXXIX
USQUE
AD MEDIUM MENSEM JULIUM ANNI MDCCCXL
HABENDARUM.



CRACOVIAE
TYPIS STANISLAI GIESZKOWSKI.

773572

nowej chorobie
Uczyn pisał o Kołtunie (podobnie jak Stannigel

ob. Zakrzewski
Tyrchowski de Trichomate
Gąsiorowski
Ciampi





CIVIBUS LITERARUM STUDIOSIS

S. P.

Universitatis Studiorum Jagellonicae Cracoviensis

RECTOR

JOSEPHUS BRODOWICZ

CUM

SENATU ACADEMICO.

Currente XVI et initio saeculi XVII, plures medici doctrina clari, idem cognomen habentes, per diversas Europae regiones florebant. Tales fuere: Leonardus Ursinus in Teutonia, Joannes Ursinus in Gallia, et rursus Joannes Ursinus Leopolitanus in Regno Poloniae, quem adhuc alius Joannes, Medicus et Jurisconsultus Cracoviensis, 100 circiter annis praecesserat. Num ambo ultimi eadem a stirpe originem duxerint, ignoratur; id modo certum est, si tempora et loca conferamus, Leopolitanum, filium Cracoviensis non fuisse (1). Nobis

(1) Joh. Ursinus Cracoviensis sub regibus Alberto et Alexandro, medio circiter saec. XV. natus, conscripsit libellum »Modus epistolandi« A. D. 1596. — Nachricht v. d. i. d. Zaluskischen Biblioth. sich bef. raren pohl. Büchern von J. D. Janocki. Breslau 1753. III. 180.— Ursinus autem Leopol: circa a. 1560, imperante Sigismundo Augusto, lucem aspexit.

hic de priori sermo est. Biographia Ursini nostri aliquot editionibus Grammatices ejus adnexa habetur. En illam, quam in fronte gerit exemplar, cura Abrekii a. 1640 typis vulgatum:

»Joannes Ursinus (²) Leopoli in Russia, patre Valentino Ursino honesto et nobili natus, in prima pueritia utroque parente orbatus, eum illa civitas, immo totum Poloniae post mortem Sigismundi Augusti Regnum, gravissima pestilentia vexaretur, datus est in tutelam viro clarissimo et integerrimo Jacobo Myszkowski, in cujus disciplina adeo severis moribus imbutus erat, ut alumnus tanti viri fuisse semper agnosceretur. Leopoli primum sub optimis doctoribus, Paenatio, Paediano, Perlicio, graecis et latinis literis instructus, plurimum Simoni Simonidae addictus fuit, cujus authoritate humaniores literas adeo excoluit, ut inter suos coaetaneos praecipuus esse censeretur. Cracoviam adultus petiit, et in Philosophicis atque Mathematicis disciplinis Valentino Fontano, viro doctissimo, usus est. Mortem Stanislai Slovacii Medici et Astrologi iniquissime tulit, cum enim doctorem in disciplina Geometrica et Astrologica habuit. Vocatus in patriam ad juventutis institutionem, vitae asperitate et exacta professione humaniorum literarum, tum quod severius dissolutam juventutem castigaret, civibus quibusdam displicuit, praesertim qui a graecis literis abhorrebant. Habuit Collegam Adamum Bursium, virum literatissimum, qui scholae illius Rector erat; hi ambo simul gravissima disciplina juventutem ferocientem cohibebant. Cum Grammaticae docendae praefectus esset, ipsius methodum felicissime conscripsit, Dialectica etiam, mira facilitate graece ex Aristotele collecta, compendiose edidit, praecipue tamen in Geometria, Arithmetica, Ecclesiasticis, ut vocant, computis docendis, operam collocavit. Ro-

---

(²) Cognomen Ursini, more saeculari, a Latinis mutuatum, et proprium auctoris nostri Niedźwiedzki fuisse, credunt Sołtykowicz O stanie akad. krak. 1810. 430. — Siarczyński Obraz wieku Zygmunta III. Lwów 1828. II. 9. — et Chodyniecki Dykcyon. uczon. Polak. Lwów 1833. II. 162. — Dubitat vero Bandtkie Hist. druk. polsk. Kraków 1826. 393.

manae historiae, dum epistolas M. T. Ciceronis, tam familiares, quam eas, quae ad Atticum inscribuntur, explicaret, diligentissimus enarrator fuit. Cum autem cives ipsi infensi essent, Cracoviam una cum Bursio migravit, sed brevi tempore ibi professione Astronomiae perfunctus, Zamoscium, a Joanne Zamoscio, Regni Cancellario et exercituum Generali Capitaneo, evocatus est. Erexerat autem ipse tum recens Academiam, quam voluit esse tam viris quam literis instructissimam, in qua cum Ursinus strenuum se in professione literarum humaniorum et mathematicarum disciplinarum exhibuisset, a Zamoscio in Italiam missus est, ut medicinam perdisceret. Videbat enim vir summus in Ursino et rerum multiplicem cognitionem, et raram eruditionem; vitae vero eam integritatem, ut tute se ipsum et valetudinem suam ipsi concredere posset. In medicina perdiscenda usus est doctissimis praeceptoribus, Hercule e Saxonia et Hieronymo ab Aqua pendente, quem etiam Chirurgiam explicantem diligentissime audivit. Reversus post quinquennium Patavio, rursus professioni in Academia Zamoscensi, parti nimirum illi Philosophiae, quae de natura est, deditus, docuit summa fide et diligentia, tam vivo, quam mortuo Zamoscio; unde etiam a tutoribus Illustrissimi Juvenis Thomae Zamoscii ad docendum ipsum literas mathematicas adhibitus est; in docendo vero etiam vitam transegit, nam et aetate et laboribus fractus, sensibus integris, Anno Christi MDCXIII mortuus est, quinquagenario major, ibidemque in Ecclesia D. Thomae, in qua Canonicus erat et sacerdos, sepultus. Cui fatis cedenti tale elogium Simon Birkowski, Philosophiae et Medicinae Doctor scripsit: »Joan. Ursinus *Canonicus et Professor Zamoscensis, Doctor Medicinae, vir summae eruditionis et vitae integerrimae, in omni Literatura accuratissimus, Juventutis Institutor fidelissimus et diligentissimus, moribus comissimis, pietatis observantissimus, erga pauperes, Scholasticos, Sacerdotes, liberalissimus, Omnibus carus, nemini molestus.*«

Notitiae biographicae, quas Jocher (Obraz bibliograficzno-historyczny Literatury w Polsce. T. I Wilno 1839. 178) et Janocki (Janociana Varsaviae 1819. T. III. 354) ex aliis editionibus Grammatices Ursini excerpserunt, singulis tantum verbis inter se et a nostra discrepant.

Ursinum nostrum, praeter Grammaticen illam, adhuc multa, partim theologica, partim alia, a medico argumento diversa opera, quorum jacturam dolemus, reliquisse, Historici minime dubitant. Huc spectat teste Biographo, ejus Compendium Dialectices ex Aristotele compilatum; porro juxta Janocium, Tom. III. 359 manuscripta Mathesin pertractantia, dein Carmen ad Zamoyscium, Archiepiscopum Leopoliensem; quinimo, uti merito infert Juszyński (3), versiones in linguam patriam principum Poëtarum graecorum. Jam vero eundem ipsum Ursinum auctorem tractatus de ossibus esse, contra opiniones Starovolscii (Scriptor. Polonicor. Ἑκατοντας Venet. 1627. 171) Feheri (Theatn. viror. eruditione clar. Noribergae 1688. 1329) Jöcheri (Gelehrt. Lexicon. Lipsiae 1751 T. IV. 1739). Janocii (l. c.), et quorundam posteriorum, in dubium vocat eruditus vir Lud. Sobolewski, in scholiis, operi Jocheri adjectis, (l. c. 179) haec dicens: »Duo occurrunt »apud Starovolscium, quae hic desiderantur, alterum nempe, quod Ur»sinus Cracoviae Magister creatus fuerit a. 1587, et alterum, quod idem »tractatus tres de ossibus humanis conscripserit. Ast, continuat, Staro»volscius et Jöcherus in suo Lexico, duos Ursinos in unum compu»tasse videntur. Erat enim alter Ursinus Cracoviensis, itidem medicus.« Verum equidem est, Starovolscium (l. c.) Ursino Leopolitano, opus Ursini Cracoviensis, scilicet »*modum epistolandi*« adscribere; ast Jöcherus (l. c.) quemlibet eorum seorsim considerando, nequaquam ambos in unum confundit.

---

(3) In exemplari Grammatices Ursini, quod proprium est Juszynscio, vetusta inscriptio, opera auctoris enumerans, hoc etiam notat: »Flores Poëtarum graecorum nostrates fecit« — Dykcyon. Poetów polsk. Krak. 1820. II. 291.

Quum rarissimum jam hodie opusculum illud »de ossibus« coram habeamus, omni utique jure contendimus, auctorem ejus non alium, quam Leopoliensem Ursinum, esse. Quo melius vero hoc innotescat viris literatis, pateatque inde simul Ursinum nostrum egregie eruditum, et non solum in Anatomia humana, verum etiam in Zootomia probe versatum fuisse, summam saltem ejus exhibere hic animus est. Ne autem haec cancellos hujus Prologi excedat, et res aliunde notae recoquantur, L. B. ad Lexicon anatomico-physiologicum, Annalibus Facultatis Medicae U. J. T. I. sect. II. p. 1—330 inclusum, relegamus, unde specialiora pernoscere licet.

Titulus libri sonat: Johannis Ursini Leopoliensis de ossibus humanis tractatus tres. I. De Nomenclatura ossium. II. De processibus et appendicibus ossium. III. De commissione ossium. Cum licentia et privilegio Zamoscii excudebat Martinus Lenscius Typograph. Academic. A. D. CIↃIↃCX 4to p. 29. (*).

In parte aversa tituli legitur dedicatio ad Thomam Zamoyscium tenoris sequentis: »Tractatus de ossibus tres non tam a me compositos, quam ex Galeno et ceteris ejus artis scriptoribus concinnatos, offero Tibi, Illustris. Juvenis. Primum, quod Tua gratia labor hic a me susceptus fuit. Dum enim ad eum disciplinarum orbem, quibus erudiris, ex Medicina quoque praecipuas partes addiscere necessarium duxeris: hanc de ossibus ex me accepisti. Idcirco non alii debetur, quam Tibi, cui primum tradita est. Deinde, quod Te unicum Patronum atque adeo Anchoram sacram, post illum incomparabilem Heroëm Patrem Tuum habemus, ad quam studiorum nostrorum cursum accomodemus. Quanquam vero ista, a me, in usum Academiae Zamoscensis eduntur, quae Parentis Tui benignitate instituta, nunc Alumna Tua est: nihilominus, omnia quae ad illam spectant, jure optimo ad Te referenda sunt. Amorem et observantiam erga Te meam istis minutiis testari tantisper permitte; donec graviora et uberiora pleraque instruimus, quae

(*) Siarczynski l. c. a. 1611 signat, quod simplici errore factum esse censemus.

Tibi a me debentur et dabuntur, ob momentum perpetuae gratitudinis. Bene vale. Datum Zamoscii Kal. August. A. D. MDCX.« Res integra, ut fert titulus, tribus absolvitur tractatibus.

I. De Nomenclatura seu appellatione ossium — Terminis latinis, non modo in hoc, sed in aliis quoque capitibus, summa eruditione citatis et critice trutinatis, adjecta cernimus nomina graeca, arabica et polonica, ac insuper brevem, sed distinctam, de situ ossium adnotationem.

Deducta vocis Σκελετός etymologia ab infinitivo graeco σκέλλειν, quod exsiccare et arefacere significat, numerum ossium illius 258 assignat, exceptis sessamoidibus, etenim, ait, incertus est eorum numerus.

Σκελετός dividitur in tres maximas partes, quae sunt: Caput, Spina et Artus, tam anteriores, quam posteriores. Non modo ex hoc loco, ubi Ursinus superioribus et inferioribus, extremitates anteriores et posteriores substituit, verum e quibusdam aliis etiam elucere videtur, eum magis Zootomiam coluisse, ac proinde et nomina sua huic accomodasse.

De capitis ossibus. Ossa ejusdem sunt 49 eaque duplicia, Cranii et Faciei atque Oris. *Cranium.* Ejus ossa sunt duplicia, propria, et communia. Propria sunt 6 et cum ossiculis organi auditorii 12. — 1) Os frontis. De hoc inter cetera scribit: Barbaris coronale, vel quia ex superiori parte perfecte rotundatur instar coronae, vel quod antiqui coronas isti parti circumponerent. Os puppis, quia si invertatur calvaria: frons puppis, occiput prorae navis similitudinem exhibet. 2) Ossa sincipitis. 3) Ossa temporum. Pars superior. Os squammosum; inferior, Os petrosum. In hujus cavitate sunt organi auditorii, tria ossicula priscis incognita. *Carpus* anatomicus, *Vesalio* antiquior, malleum et incudem invenit: Stapedem Realdus Columbus, Cremonensis, in Gymnasio Romano Anatom. celeberrimus. Ab hac cavitate in oris palatum via tendit vel foramen, rotundo canaliculo seu tenuiori calamo persimile. Proinde homines surdastri, dum bene audire volunt, ore aperto audiunt, ut per hunc meatum vox ad aures perveniat.

Hinc Poloni dicere solent: Si non audis auribus, saltem aperto ore audias. 4) Os occipitis. Barbaris os prorae. Dicitur quoque os memoriae, recentiores enim medici memoriam in posteriori parte cerebri collocant. Cranii ossa communia duo: 1) Os multiforme. 2) Os cribrosum.—*Faciei* et *Oris* ossa sunt 45, eaque quadruplicia: Nasi, Maxillae utriusque, in maxillarum alveolis, et ad linguae radices. Maxilla duplex est: superior polonice: *Żuchwa*, inferior polonice: *Czeluść*. Per superiorem intelligit complexum omnium faciei ossium, excepta maxilla inferiore, et inde maxillam superiorem, sensu strictiori acceptam, sub nomine ossis genae distinguit; scribit enim: Superioris maxillae ossa 8. utrinque 4. 1) Os zygomatis; 2) Os interioris nasi; 3) Os genae; 4) Os ad palati radices. Galenus (Cap. 20. Lib. 11. De usu partium) novem ossa maxillae superioris enumerat, quod in calvariis simiae verum erit. Dentes vulgari modo dividit, enucleando ubivis eorum nomina. Os ad linguae radices, os hyoides.

De Spinae ossibus. Spinae ossa sunt 61. Vertebrae et Costae. *Vertebrae* sunt duplices: propriae et impropriae. Propriae sunt 24. Cervicis seu colli, Dorsi seu thoracis, et Lumborum. Vocabulum Epistropheus, quo moderni secundam vertebram adpellant, ~~Pollux~~ ad primam adhuc refert, alteram juxta processum ὀδὲς dicendo. Vertebrae impropriae sunt 7. Ossis sacri et coccigis.—*Costae* 24 sunt verae et spuriae.

De ossibus Artuum. *Anteriorum* artuum ossa dividuntur in fundamentum et partes. Fundamentum dicitur scoptulum opertum. Barbaris scapula. Partes sunt 6. Ossa vero 30. 1) Brachium; 2) Cubitus; 3) Radius; 4) Manus extrema. Hujus partes rursus 3: Brachiale, Postbrachiale, Digiti. Quaestio est, num recte Carpum polonice *Pięść* appelat? Enumeratis et explicatis digitorum nominibus, usu receptis, ita continuat: Vocantur quoque digiti ex gestatione annulorum pro diversitate personarum, atque eorum nomina hoc metro concluduntur:

Ductor, Mercator, Stultus, Studiosus, Amator.

Posteriorum Artuum ossa iterum dividit in fundamentum et partes. Fundamentum dicitur os innominatum, cujus sunt partes 3: Os ilium, Os coxae, Os pubis. Partes sunt 5; ossa vero 29. 1) Femur, Barbaris Coxa; 2) Tibia; 3) Fibula; 4) Rotula; 5) Pes extremus. Hujus partes rursus sunt 5: 1) Talus, Quatrio, Barbaris os balistae... quamvis talis pars sursum vergens proprie Quatrio dicatur; 2) Calcaneum; 3) Tarsus (os naviforme, tesserae et tria cuneiformia); 4) Metatarsus; 5) Digiti.

II. De processibus et appendicibus ossium. Praemissa utriusque prolongationis distinctione, sic tradit: Haec autem ossis coagmentatio in grandioribus et aetate provectis vix distingui potest, sed in juvenibus facile deprehenditur per decoctionem ossium. Quemadmodum humeri caput est appendix, sic in superiori parte femoris et in utraque tibiae.

De processibus capitis. 1) Ossis temporum sunt 3: *a*) mamillaris, *b*) styliformis, qui cito in calvariis computrescit, et in simiis est solidissimus, *c*) Zygomad. 2) Ossis cuneiformis sunt duplices processus interni: Alii enim vocantur sellares, a similitudine sellae equinae, quam efformant, alii lectiformes — *nieckowate wyrosty; bo są naksztalt niecek, w których też dzieci na wsi legaią miasto łóżka.* Processus vero externi vocantur pterygoidei, aliformes, similes enim sunt alis vespertilionum. Proinde recte hoc os cuneiforme, primo tractatu vocatum fuit multiforme, a multitudine formarum, quas efformat processibus suis. 3) Ossis cribrosi processus 2: superior crista galli, inferior narium intestinum vocatur. 4) Ossis occipitis duo processus depressi. Galenus coronas hos processus dixit, sed respexit ad canes, in quibus sunt instar rostri cornicum. — Processus primi ossis Maxillae superioris: Zygoma. Maxillae inferioris processus 2: rostriformis et condyloideus seu tuberosus.

De processibus spinae. 1) Anterior processus est peculiaris secundae cervicis vertebrae, ὀδοντοειδής dentiformis, et simpliciter dens. Dicitur etiam πυρηνοειδής vel πυρηνοδής, id est nucleiformis, a similitudine, quam habet cum nucleo oleae, qui Graecis πυρήνη dicitur. Arabibus pyramoides, pyramiformis,

quia similis est pyramidi rotundae, quae a Graecis κῶνος vocatur. Apud Arabes pyramis duplex est, una angularis et altera rotunda. Sed apud Graecos figurae solidae in unum apicem terminatae, si sunt angulares, et pro basi habent aliquam figuram rectilineam, semper dicuntur Pyramides; si vero pro basi habent circulum, dicuntur Coni; unde rectius a Graecis hic processus vocatur κονοειδής. 2) Posterior dicitur spina. 3) Transversi. 4) Obliqui.

De processibus artuum superiorum. Scoptulorum processus 2. Humeri caput est appendix. Inferior vero pars habet 3 processus. Cubiti sunt 3 processus.

De processibus artuum inferiorum. Hoc loco agit de processu ossis ilium posteriori, seu summa spina, de trochanteribus seu rotatoribus, de processibus fibulae et tibiae, quae habet appendicem et processus tres.

III. De Commissione ossium. Commissio ossium est duplex: articulatio et concretio. Articulationis sunt duae species: Diarthrosis s. Dearticulatio et Synarthrosis s. Coarticulatio.

Diarthroseos rursus sunt tres species: 1) Enarthrosis, 2) Arthrodia, et 3) Ginglymus. Synarthrosis est duplex: ossium habentium obscurum et omnino non apparentem motum. Hanc distinctionem Synarthroseos, ait, mihi primus indicavit Clariss. atque Excellentis. vir Hieronymus Fabricius ab aqua pendente praeceptor meus etc. Synarthrosis cum motu obscuro easdem 3 species habet, quas et Diarthrosis, sed sine motu evidenti, namque est: 1) Enarthrosis synarthroseos, 2) Arthrodia synarthroseos, 3) Ginglymus synarthroseos.

Synarthrosis autem ossium nullum omnino motum habentium, est vel Sutura, Harmonia vel Infixio.


Symphysis est sine vel cum medio. Haec rursus triplex est: Synchondrosis, Syneurosis, Syssarcosis. Notandum, Syneurosin, quod vocabulum hodie similem cum Syntenosi habet usum, apud veteres, idcirco et apud Ursinum, eundem cum Syndesmosi sensum habuisse. Quodvis com-

missionis ossium genus, illustratur cum brevi sed accurata descriptione, tum etiam uno pluribusque exemplis.

Universim in libro hoc, aeque raro quam egregio, amplam patefacit Ursinus doctrinam ac eruditionem, nec non eximiam rei Anatomicae scientiam. Et sane mirandum, tam vastum argumentum, salva omnino perspicuitate, aliquot pagellis expediri potuisse. Pulchrum profecto specimen summe concinnae cogitandi rationis, veraeque Ursini Logices, quam ad haec usque tempora merito veneramur.

Sed haec sufficiant. Vos autem, Cives Academici, versate continuo, non modo graeca et latina, verum etiam patria, majorum opera. Sit vobis Ursinus exemplum solidae doctrinae ac morum integritatis, imitamini quoque *Illustrem Juvenem* cujus gratia hosce anatomicos tractatus concinnavit: quoniam ut ait, »ad eum disciplinarum orbem, quibus erudiebatur, »*ex Medicina* quoque *praecipuas partes* addiscere necessarium duxerat.« Anatomiam autem praecipuam esse, vel inde patet, quia haec proxime hominem ad sui cognitionem ducit; jam vero *Γνῶθι σεαυτόν* clavis est omnis sapientiae humanae.





ORDO THEOLOGORUM.

LEO LAURYSIEWICZ

S. TH. D. P. O. P. H. T. FACULTATIS THEOLOGICAE DECANUS.

Theologiam pastoralem auditoribus anni tertii semestri hyemali diebus Lunae, Martis, Jovis et Saturni a hora 10—12, item diebus Veneris a h. 11—12; duce Povendra. — Semestri aestivo iisdem horis eloquentiam sacram Catecheticam et Didacticam duce Weinkopf tradet.

JOANNES STANISLAUS PRZYBYLSKI

S. TH. D. P. O. P.

Institutiones dogmaticas auditoribus anni secundi, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris a hora 10—11, duce Klüpfel; ethicas vero auditoribus anni tertii diebus Lunae, Martis, Mercurii, et Veneris a hora 11—12, duce Stapf profitebitur.

CAROLUS TELIGA

S. TH. D. P. P. O.

Historiam ecclesiasticam et patristicam auditoribus anni primi in utroque semestri diebus Lunae, Martis, Jovis a h. 8—9, diebus vero Mercurii, Veneris et Saturni a h. 8—10, duce Klein explanabit.

IGNATIUS PENKA

S. TH. D. P. O. P.

Archaeologiam et Hermeneuticam auditoribus anni primi semestri hyemali diebus Lunae et Martis a hora 9—10, diebus Mercurii a h. 10—11, duce Ackermann et Alber; — linguam hebraicam et syro-chaldaicam diebus Jovis et Veneris a h. 3—4, duce Jahn et Oberleitner; semestri aestivo iisdem diebus et horis Exegesim SS. Librorum Vet. Foederis duce Calmet et linguas orientales, ut supra;

Introductionem vero in libros V. et N. Foederis auditoribus anni 2di semestri hyemali diebus Lunae, Martis, Mercurii a h. 3—4, duce Ackermann et Alber; semestri aestivo iisdem horis Exegesim Novi Foederis nec non Exegesim sublimiorem a hora 3—4, diebus Saturni explicabit.

Auditores anni primi praelectionibus paedagogiae, anni vero secundi praelectionibus juris canonici interesse tenentur, secus ascensu carebunt.

ORDO JURISCONSULTORUM.

ANTONIUS MATAKIEWICZ

J. U. D. P. P. O. H. T. FACULTATIS JURIDICAE DECANUS.

Leges fundamentales civitatis auditoribus anni primi semestri hyemali diebus Lunae, Mercurii, et Veneris a h. 9—10, juxta vigentia hac in re statuta ac rescripta, semestri vero aestivo jus criminale tam theoreticum, quam positivum austriacum et polonum iisdem horis exponet. — Auditoribus autem anni tertii processum civilem judicialem per utrumque semestre diebus Martis et Jovis a hora 9—10, et diebus Lunae, Mercurii, Veneris et Saturni a hora 10—11, juxta obli-

gantes codices nec non eorum commentatores Jenull, Feuerbach et alios novissimos explicabit.

ADAMUS KRZYŻANOWSKI

J. U. D. P. P. O.

Jus civile mercantile et processum extrajudicialem auditoribus anni tertii per utrumque semestre diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis, Veneris et Saturni a h. 8—9, et diebus Lunae, Mercurii et Saturni a h. 9—10, duce Delvincourt et Locrée praeleget.

FELIX SŁOTWIŃSKI

PHIL. ET JURIS UTRIUSQ. D. P. P. O.

Historiam Juris Romani et Institutiones auditoribus anni primi per utrumque semestre diebus Martis et Saturni a h. 8—9, duce Bacchio et Heineccio, — Jus ecclesiasticum auditoribus anni 2di per utrumque semestre diebus Martis, Mercurii et Saturni a h. 3—4, secundum programma typis editum, Pandectas auditoribus anni 2di per utrumque semestre diebus Lunae, Mercurii, Jovis et Veneris a h. 9—10, duce Westenbergio e propriis schedis interpretabitur.

FERDINANDUS KOJSIEWICZ

J. U. D. P. P. O.

Oeconomiam politicam, et jus naturae privatum, publicum et gentium, auditoribus anni primi per utrumque semestre diebus Lunae, Mercurii, Jovis et Veneris a h. 8—9 et diebus Martis, Jovis et Saturni a h. 9—10, duce Zeiller, Martini, Say et Skarbek; auditoribus vero anni

secundi per utrumque semestre diebus Martis et Saturni a h. 10—11. Politiam et notitiam status rerum publicarum, juncta reditus publicos tractandi arte, duce Lotz, Rau et Schnabel tradet.

ORDO MEDICORUM.

FLORIANUS SAWICZEWŚKI

M. D. P. P. O. H. T. FACULTATIS MEDICAE DECANUS.

Pharmaciam diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris a hora 7—8. duce Geiger, — Chemiam generalem nec non practico-forensem duce Berzelio, Dumas, et Hünefeld, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris a hora 8—9, per utrumque semestre auditoribus anni primi et secundi nec non chirurgis inferioris ordinis exponet.

ALOYSIUS ESTREICHER

PH. ET M. D. P. P. O. HORTI BOTANICI DIRECTOR.

Historiam naturalem universalem auditoribus anni 2di Philosophiae per utrumque semestre diebus Lunae, Martis, Mercurii, Veneris, et Saturni a h. 10—11.

Mineralogiam et Zoologiam auditoribus anni primi Medicinae semestri hyemali diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris a h. 11—12, duce Berzelio, Leonhardo, et Oken; — semestri aestivo iisdem auditoribus Botanicam generalem et specialem duce Richard et Winkler diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis, et Veneris a h. 6—7. explanabit.

JOSEPHUS BRODOWICZ

M. D. P. P. O. INSTITUTI MEDICO-CLINICI DIRECTOR.

Pathologiam et Therapiam specialem e propriis scriptis duce Hildebrand et Reimann diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris a hora 9—10. Praxin Medicam iisdem diebus a h. 8—9, auditores anni quarti et quinti docebit.

LUDOVICUS BIERKOWSKI

PHIL. M. ET CH. D. P. P. O. INSTITUTI CHIRURGICO-CLINICI DIRECTOR.

Chirurgiam theoreticam generalem et specialem e propriis scriptis duce Chelio per utrumque semestre auditoribus anni tertii diebus Lunae, Mercurii et Veneris a h. 11—12; Chirurgiam practicam auditoribus anni quarti per utrumque semestre diebus Martis, Jovis et Saturni a h. 10—12; Praxin chirurgicam per utrumque semestre diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris a h. 10—11 docebit.

FRIDERICUS SKOBEL

M. ET CH. D. P. P. O.

Hodegeticen medicam duce Friedlaendero auditoribus anni primi, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris semestri hyemali a hora 3—4, tradet; qua finita iisdem horis auditoribus anni tertii Pathologiam generalem praeeunte Starkio per utrumque semestre exponet.

Pharmacodynamicen una cum arte formulas medicas concinnandi e propriis schedis, Therapiam generalem duce Conradio et Diaeteticen duce Wildbergio per utrumque semestre auditoribus anni 3tii diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis, et Veneris a h. 8—9 explanabit.

ANTONIUS KOZUBOWSKI

M. ET CH. D. P. P. O.

Anatomiam, duce Bock, auditores anni 1mi per utrumque semestre diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris a h. 10—11.

Physiologiam, duce Müller, auditores anni 2di per utrumque semestre diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris a h. 2—3 docebit.

Exercitationes anatomico-practicae a mense Octobri ad Aprilem diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris a h. 9—10, et 2—3, auxiliante Adjuncto a Candidatis instituentur.

JOSEPHUS MAJER

MED. ET CHIR. D. P. P. O.

Elementa Psychologiae et Logices, Physiologiam et Pathologiam generalem, elementa Physices, Therapiam generalem et Pharmacodynamicen, Pathologiam et Therapiam specialem, Chirurgis inferioris ordinis explicabit in utroque semest. diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris a hora 8—9 et 3—4; aestivo vero tempore iisdem nec non auditoribus medicinae anni tertii diebus Lunae et Jovis a hora 3—4. Veterinariam generalem et doctrinam de morbis epizooticis et contagiosis, praeeunte Wagenfeldio tradet.

FRIDERICUS HECHEL

M. ET CHIR. D. P. P. O.

Historiam Medicinae et Chirurgiae ducibus Sprengel et Hecker auditoribus anni quinti utroque semestri diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris a h. 2—3, iisdem semestri hyemali medicinam forensem duce Henke, aestivo vero politiam medicam ducibus Bernt et

Niemann, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris a hora 11—12 tradet.

JOSEPHUS KWAŚNIEWSKI

M. ET CH. D. P. P. O.

Theoriam artis obstetriciae auditoribus anni 3tii nec non feminis artem obstetr. discentibus semestri hyemali, ducibus Froriep et Carus, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis a h. 9—10, — doctrinam de morbis feminarum duce Joerg auditoribus anni quinti semestri hyemali diebus Martis et Jovis a h. 3—4, iisdem vero horis semestri aestivo de morbis infantum ducibus Henke et Wendt exponet. — Praxin artis obstetriciae, auxiliante Adjuncto, auditores anni quinti nec non feminas arti obstetr. vacantes docebit per utrumque semestre diebus Lunae, Mercurii, Jovis et Saturni a h. 7—8.

ORDO PHILOSOPHORUM.

MICHAËL WISZNIEWSKI

PHIL. D. P. P. O. H. T. FACULTATIS PHILOSOPHICAE DECANUS.

Historiam universalem auditoribus anni 1mi diebus Jovis, Veneris et Saturni a h. 3—4, auditoribus vero anni 2di diebus Lunae, Mercurii et Saturni a h. 9—10. — Historiam literariam universalem duce Wachler, auditoribus anni 1mi per utrumque semestre diebus Martis a h. 3—4, et Jovis a h. 2—3 tradet.

CAROLUS HUBE

PH. D. P. P. O.

Arithmeticam et Algebram auditoribus anni primi semestri hyem. diebus Lu-

nae, Martis, Mercurii, Jovis, Veneris a hora 9—10, et Saturni a h. 9—11, semestri vero aestivo iisdem horis Geomotriam, Stereometriam, Trigonometriam et Sectiones conicas explicabit.

JOSEPHUS JANKOWSKI

PH. ET J. U. D. P. P. O.

Psychologiam auditoribus anni 1mi semest. hyem. diebus Lunae, Mercurii, Veneris et Saturni a h. 8—9.

Ethicam auditoribus anni 2di per utrumque semestre diebus Martis, Jovis et Veneris a h. 8—9.

Historiam philosophiae auditoribus anni 2di per utrumque semestre diebus Martis et Jovis a hora 9—10 tradet.

MAXIMILIANUS WEISSE

PHIL. ET U. J. D. P. P. O. OBSERVAT. ASTRON. DIRECTOR.

Matheseos sublimioris cursum secundum per utrumque semestre diebus Martis, Jovis et Saturni a hora 11—12, duce Burg, Ettingshausen et Poisson tradet.

Astronomiam per utrumque semestre diebus Lunae, Mercurii et Veneris a h. 11—12, duce Sartini et Littrow docebit.

JOANNES CAJETANUS TROJAŃSKI

PHIL. D. P. P. O.

Profitebitur octies per hebdomadem literas latinas et polonicas: et Auditoribus quidem anni secundi tradet diebus Lunae, Mercurii, Veneris et Saturni hora matut. 8—9; Auditoribus anni primi semestri aestivo iisdem diebus h. mat. 7—8, sem. vero hiberno diebus Martis et Jovis h. 8—9 mat., et diebus Martis et Saturni h. 2—3 pomeridiana.

FRANCISCUS XAV. STACHOWSKI

S. THEOL. ET PHIL. D. P. P. O.

Doctrinam religionis auditoribus anni 1mi per utrumque semestre diebus Lunae et Mercurii a h. 10—11; auditoribus vero anni 2di diebus Martis et Saturni a h. 3—4.

Paedagogiam auditoribus anni 1mi per utrumque semestre diebus Martis et Jovis a h. 10—11.

Linguam Graecam iisdem per utrumque semestre diebus Lunae, et Mercurii a h. 3—4 tradet.

JOSEPHUS MUCZKOWSKI

PHIL. D. BIBLIOGRAPHIAE P. P. O. ET BIBLIOTHECARIUS.

Bibliographiam auditoribus anni secundi per utrumque semestre diebus Lunae, Mercurii et Veneris a hora 2—3 explanabit.

LUDOVICUS STEPHANUS KUCZYŃSKI.

PHIL. D. P. P. O.

Doctrinam physices exponet auditoribus anni 2di per utrumque semestre diebus Jovis a h. 10—12, Martis, Mercurii et Suturni a h. 2—3, Lunae et Veneris a hora 2—4.

JOANNES CANTIUS STECZKOWSKI

PHIL. D. OBSERV. ASTRON. ADJUNCTUS.

Matheseos sublimioris cursum priorem auditoribus anni 2di per utrumque semestre diebus Jovis a h. 2—4 tradet.

Linguam Germanicam Augustus Otremba per utrumque semestre diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis, Veneris et Saturni a h. 4—5.

Linguam Gallicam Franciscus Aubertin iisdem diebus a hora 11—12.
Linguam Rossicam Hieronymus Mecherzyński iisdem diebus a h. 7—8. docebunt.

Lectorium in Bibliotheca publica Universitatis semestri hyemali quotidie, exceptis diebus festis, a h. 9—1; semestri vero aestivo a h. 9—12. et 3—6.
Observatorium Astronomicum horis 3—6. diebus Jovis et Solis.
Museum Chemicum diebus Veneris a hora 9—12.
Museum Physicum die Saturni a hora 9—12.
Museum Zoologicum et Mineralogicum die Saturni a h. 1—4 tempore hyemali, aestivo vero a hora 3—6.
Hortus Botanicus quotidie, patebunt; hospitibus vero extraneis, qui Musea Biblioth. et Observat. invisere cupiunt, nulla hora praefinita est, dummodo tempus praelectionibus sacrum condonare velint.